



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Ricardo Illvstri Regi Anglorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

vestrae per apostolica scripta districte præcipimus quatenus nisi dictus Archiepiscopus infra præfixum sibi tempus cu- raverit quod mandavimus adimplere, vos omni contradictione, dilatione, & appellatione cessantibus Ecclesiæ ipsas cum perceptis fructibus dictis monachis restituere non tardetis; detentores ipsa- rum, si vobis in hac parte immo nobis ipsis præsumperint obviare, pœna sus- pensionis & excommunicationis etiam, si opus fuerit, percellentes. provisuri ut Deum habentes præ oculis, sine per- sonarum acceptance mandatum aposto- licum taliter exequamini, quod devo- tionem vestram & nos commendare pos- simus, & Deus debeat acceptare. Quod si omnes his exequendis nequiveritis in- teresse, duo vestram ea nihilominus exe- quantur. Datum Laterani XI. Kal. De- cembris.

*RICARDO ILLVSTRI REGI  
Anglorum.*

Epiſt. 435.  
Ne Rex istam  
relinquitorem  
monachorum  
impediatur.

**I**ntra alia quæ nos hortantur celsi- tudinis regiae titulis congaudere, il- lud tanquam memoriale, quia personam tuam syncera caritate diligimus, multa gratiarum actione prosequimur, quod jamdudum nos regiis apicibus rogavisti ut pro nullo deberemus in his quæ agi- mus à justitia tramite deviare; nec illud fuit in eisdem literis prætermissum, unde circumspectionem regiam dignis laudi- bus commendamus, ut si forte à nobis interdum aliiquid postularet quod esset obvium rationi, nolebat aliquatenus exaudiri. Nos ergo, præter officij nostri debitum, ex quo cùm, licet indigni, tem- pus acceperimus justitiam judicandi, uni- versis & singulis in jure suo existimus debitores, regiae prudentiae salutaribus exhortationibus invitati, & volentes re- gia via prudenter incedere, nec declina- re ad dexteram vel sinistram, nuper in præsentia nostra nuntiis venerabilis fra- tris nostri Archiepiscopi & dilectis filiis.. . & . monachis Cantuarien. constitutis, in facto capellæ de Lamhee de communi consilio fratrum nostrorum processimus sicut nobis fuit divinirus revelatum, & literæ quas eidem Archiepiscopo & ve- nerabilibus fratribus nostris Cantua- rien. Ecclesiæ Suffraganeis destinamus, continent evidenter. Ut autem manda- tum nostrum, quod de pura conscienc- ia Deo teste processit, liberiū valeat

adimpleri, serenitatem regiam prece- qua possumus & affectione rogamus quatenus his quæ à nobis facta sunt be- nignius annuendo, non sit impedimen- to quod minus debeant juxta rescripti nostri seriem effectui mancipari; quin potius, si quis se (quod vix credimus) duceret opponendum, ejus audacia que- sumus potestate tibi tradita reprimatur; ut mandata sedis apostolica debi- tam obtineant firmitatem. Alioquin, quantumcunque magnificentiam tuam in Domino diligamus, & sibi velimus, quantum cum Deo possumus, honestè deferre, contemptum apostolicae sedis & nostrum non poterimus æquanimiter sustinere; sed eos qui se opponere no- stris in hac parte iussionibus attenta- bunt, pœna magistra docere curabimus quam durum sit contra stimulum calci- trare. Provideat igitur regia celsitudo quod ita preces apostolicas in hac parte diligenter exaudiat, sicut petitiones suas apud sedem apostolicam cupit etiam in majoribus exaudiiri; procurans attentius ut præfatos monachos, quos sub protec- tionе nostra suscepimus, ne minores à majoribus opprimantur, dextera suæ po- tentiæ protegat & defendat; ut apud eum æternæ retributionis præmia con- sequatur qui juxta propheticum testi- monium liberavit pauperem à potentie, & inopem cui non erat adjutor. Datum Laterani XII. Kal. Decembri, pontifi- catus nostri anno primo.

*PRIORI ET CONVENTVI  
Cantuarien.*

**N**isi viri prudentes essetis, & sacra- rum haberetis scientiam scriptu- rarum, pro tribulationibus quæ inven- runt vos nimis, egeretis forsitan conso- lationibus aliorum. Sed imitatores Apo- stolorum effecti, ut relictis omnibus li- beriū sequi possitis Christum pauperem & egenum, amissionem temporalium, quæ debetis cum Apostolo reputare tan- quam stercore, ut Christum lucrifacere valeatis, excipere cum gaudio vos oportet, nec pro ea, sicut ceteri hominum, contristari, ne per immoderatum dolo- rem, postquam manum misit is ad for- tia, retro aspicere comprobemini, & manna contemptu ad Ægypti pepones & allia & ollas carnium alpirare. Cùm itaque non sint condigne passiones hu- jus temporis ad futuram gloriam quæ

Epiſt. 436.  
Consolatoria  
epistola in cau-  
la Archiepisco-  
pi & monacho-  
rum.  
Vide infra epif.  
584.

K k ij